Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet: et tenebre eam
non comprehenderunt. Fuit homo missus a deo: cui nomen
erat iohannes. Hic venit in testimonium ut testimonium per
hiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille
lux. Sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux ve-
ra que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
In mundo erat: et mundus per ipsum factus est: et mundus eum
non cognouit. In propria venit: et sui eum non receperunt.
Quotquot autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios dei fi-
eri his qui credunt in nomine eius qui non ex
sanguinibus: neque ex voluntate carnis: neque ex voluntate
viri sed ex deo nati sunt. Et verbum caro factum est: et habi-
tauit in nobis. Et vidimus gloriam eius: gloriam quasi vni
genti a patre: plenum gratie et veritatis. Sti steph. pcho.
In diebus illis: Stephanus. Ioh actum apl'or.
Plenus gratia et fortitudine: faciebat prodigia et signa
magna in plebe. Insurexerunt autem quidam de synagoga
que appellatur libertinorum et cyrenensium et alexandrinorum
et eorum qui erant a cilicia et asia disputantes cum stephano:
et non poterant resistere sapiente et spiritui qui loquebatur. Audi-
entes autem hec: dissecabantur cordibus suis: et stridebant
dentibus in eum. Cum autem esset stephanus plenus spi-
ritu sancto: intendens in celum vidit gloriam dei: et iesum
stantem a dextris dei et ait. Ecce video celos apertos: et filium
hominis stantem a dexteris virtutis dei. Exclamantes autem
voce magna continuerunt aures suas: et impetum fecerunt
vnanimiter in eum. Et eiicientes eum extra ciuitatem lapida-
bant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adole-
scentis: qui vocabatur saulus. Et lapidabant stepha-